



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tora nevi'im u-ketuvim

Leusden, Johannes

Amstelodami, 1667

Johannes Leusden Lectori benevolo S.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39406



JOHANNES LEUSDEN
Lectori benevolo S.

D

*Amus Tibi, benevole Lector, Biblia accuratissima & correctissima, impressa, nostro in gratia Dei ductu, per celeberrimum Judæum D. JOSEPHUM ATHIAM, quibus accuratio-
ra & correctiora nunquam Sol aspexit. Et quia hætenus talia non sunt edita, ideo non absolum nos esse facturos judicavimus, si hîc indicaremus, quæ à nobis & Athiâ in hac editione præstita sint. De tribus ergo hîc differemus. 1. De ipso textu Hebræo. 2. De Notis Latinis exteriori margini adscriptis, continentibus Argumentum Textûs. 3. De Notis Hebraicis in exteriori & interiori margine annotatis.*

I. De ipso Textu Hebræo.

T

Extus Hebræus in hac Editione est tam correctus quàm qui correctissimus. Ipsemet, ad minimum semel, totum textum Hebræum à principio usque ad finem, summâ cum attentione perlegi, & expertus sum maximam diligentiam circa hunc Textum Hebræum esse adhibitam, quanta circa ullos Textus Hebraicos hætenus editos non fuit adhibita.

I. Libri omnes & singuli Hebraicis & Latinis appellationibus

b i

denomi-

P R Æ F A T I O.

denominantur, non tantum in initiis librorum; sed etiam supra ipsum Textum; adeo ut, etiam linguam Hebræam non intelligentes, statim primo intuitu cognoscere possint, qualis liber oculis observetur.

II. Vetus Testamentum in tres partes dividitur; in Legem, Prophetas & Hagiographa. Sub *Lege* continentur quinque libri Mosis, sic vocati vel à prima libri voce, vel à prima ejusdem libri voce emphaticâ: ut בְּרֵאשִׁית *Genesis*, שְׁמוֹחַ *Exodus*, לֵוִיִּית *Leviticus*, בְּמִדְבָּר *Numeri*, דְּבָרִים *Deuteronomium*.

Nota. Judæi circa spatia, inter libros Pentateuchi relinqui solita, sunt curiosi: propterea in his Bibliis juxta titulum Exodi, Levitici, Numerorum & Deuteronomii additur præmonitio, indicans inter singulos libros relinquendum esse spatium quatuor regularum, & à quinta regula librum novum esse inchoandum, quæ his vocibus concepta est: יְנִיחַ אַרְבַּע שִׁטֵּן פְּנוּיִת וְיַחְזִיר כְּתוּבַת שִׁמְרַת חֲמִשָּׁת *Quatuor regulæ sunt relinquendæ vacuæ, & incipiendum est à regula quinta.*

Sub secundâ parte comprehenduntur Prophetæ tum anteriores, ut יְהוֹשֻׁעַ *Josua*, שׁוֹפְטִים *Judices*, שְׁמוּאֵל *Samuel*, מְלָכִים *Reges*; tum posteriores, ut יֵשַׁעְיָהוּ *Jesaias*, יֵרֵמְיָהוּ *Jeremias*, יְחֶזְקֵאל *Ezechiel*, הוֹשֵׁעַ *Hoseas*, יוֹאֵל *Joël*, עָמוֹס *Amos*, עֹבַדְיָה *Obadias*, יוֹנָה *Jonas*, מִיכָה *Micha*, נְבוּזַנְבַּן *Nabum*, חַבְקֻק *Habakuk*, צְפַנְיָה *Sephanias*, חַגְגַּי *Haggæus*, זְכַרְיָה *Zacharias*, מַלְאכִי *Malachias*.

Nota. Regum & Chronicorum posteriores libros curavimus peculiari titulo à prioribus libris distingui, cum Judæi eos hactenus tantum distinxerint per has voces margini adscriptas, סֵפֶר שְׁנִי *Liber secundus*.

Ad tertiam & ultimam partem referuntur תְּהִלִּים *Psalmi*, מִשְׁלֵי *Proverbia*, אִיּוֹב *Job*, שִׁיר הַשִּׁירִים *Canticum Canticorum*, רוּת *Ruth*, תְּהִנֵּי *Threni*, קֹהֵלֶת *Ecclesiastes*, מְגִלַּת אֶסְתֵּר *Volumen Esther*, דָּנִיֵּאל *Daniel*, אֶסְרָא *Efra*, נְבֻזַנְבַּן *Nebemias*, חֲבֵרֵי הַיָּמִים *Chronica*.

Nota. In plerisque editionibus חֲמִשָּׁת מְגִלּוֹת *quinque volumina*, scil. Canticum, Ruth, Threni, Ecclesiastes & Esther immediate post Pentateuchum collocantur: quia certis quibusdam festis publicè in Synagogis prælegi solent. Sed in hac editione rejiciuntur ad Hagiographa, h. e. ad tertiam Veteris T. partem, ad quam propriè pertinent.

III. Pen-

III. Pentateuchus dividitur in LIV. Sectiones majores, quarum tituli, à prima emphatica voce sic denominati, suprâ juxta appellationes librorum Pentateuchi habentur: ex. gr. supra *capp.* 6. 7. 8. 9. 10. 11. Genesios habetur בראשית denotans Genesin, & נח *Noah* significans sectionem, scil. unam ex 54. majoribus. Illæ sectiones distinguuntur tribus פ פ פ, vel aliquando tribus ס ס ס, excepta sectione duodecimâ, ubi spatium unius regulæ vacuum relinquitur, quod in margine etiam annotatur. Juxta tres illas literas פ פ פ vel ס ס ס habentur literæ Hebraicæ & notulæ numericæ, quæ denotant numerum sectionum maximarum; quod hactenus nunquam à Judæis in editionibus Bibliorum Hebraicorum est observatum. In Genesi tales sectiones occurrunt 12. In Exodo 11. in Levit. 10. In Numer. 10. & in Deuter. 11. quæ simul collectæ efficiunt 54. Quare aliquando sectio maxima denotatur tribus ס ס ס, ut *Gen.* 28. 44. & alibi, cum ut plurimum aliàs distingui solet tribus פ פ פ? *Resp.* Quia eo in loco, ubi sunt tria ס ס ס, etiam est sectio minima, quæ communiter unicâ literâ ס denotari solet: sed ubi sunt tria פ פ פ, ibi est sectio major & maxima.

IV. Sectiones majores, sive intermediae, denotantur unicâ litera פ, quæ est prima litera vocis פתוחה *aperta*: nam ubi in Pentateucho occurrit פ, ibi reliqua pars lineæ solet relinqui vacua. In hac editione illæ sectiones accuratè enumerantur; in Genesi sunt sectiones apertæ 43. In Exodo 69. In Levit. 52. In Numer. 92. & in Deuter. 34. simul 290.

V. Sectiones minimæ, literâ ס vocis סתומה *clausa*, denotari solitæ, sunt in *Gen.* 48. In *Exod.* 95. In *Levit.* 46. In *Numer.* 66. & in *Deut.* 124. simul 379. Numerus antecedentium sectionum exprimitur in fine singulorum librorum Pentateuchi.

VI. *Quær.* Quem usum habet hæc triplex sectionum divisio?

Resp. 1. Pentateuchus divisus est in 54. sectiones maximas, ut quotannis, legendo in Synagogis singulis Sabbathis unam sectionem, totus absolvi posset: in anno enim intercalari Judæorum sunt hebdomadæ LIV. *Moses*, h. e. Pentateuchus Mosis, in Synagogis per singula Sabbathæ legitur, *Act.* 15. 21. (2.) Sectiones majores per פ, & minimæ per ס distingui solitæ, denotant divisiones Pentateuchi majores vel minores, in quarum

P R Æ F A T I O.

locum jam ferè capitum distinctio successit. Olim enim non fuit in Pentateucho, nec in Veteri T. ulla distinctio capitum usitata: & propterea antiqui Rabbinii distinxerunt Pentateuchum in tales sectiones, quarum usus, propter commodiorem capitum distinctionem, jam ferè obsolevit; nihilominus tamen, propter antiquitatem, in plerisque Bibliis Hebraicis ut plurimum retinentur.

VII. Capita librorum Veteris T. hinc dupliciter distinguuntur, scil. literis Hebraicis in parte interiori, & Romanis in parte exteriori: iterum commoditatis ergo; ut unusquisque, cui quantitas literarum ignota est, facillimè capita inquirere posset; quod hætenus nunquam à Judæis factum est.

VIII. Omnes & singuli versus Biblici notulis numericis distinguuntur, excepto quolibet versu quinto, qui Hebraicis literis indigitatur, prout capita, in plerisque Bibliis Hebraicis, in versiculos ferè distingui antea solebant.

IX. In fine omnium fere librorum numerus versuum, & in fine librorum Pentateuchi etiam numerus sectionum, atque medius versus indicantur: ex. gr. In fine Genesios hæc habentur: סכום פסוקי דספר בראשית אלף וחמש מאות ושלשים וארבעה אף לד סימן : וחציו ועל חרכך תחיה: ופרשיותי יב. זה שמי לעלם סימן: וסדריו מג גם ברוך יהיה סימן: ופרקיו נ' יי חננו לך קינו סימן: מניין הפתוחות שלשה וארבעים והפתוחות שמונה וארבעים הכל תשעים ואחת פרשיות צא : אתה וכל העם אשר ברגליך סימן : h. e. Numerus versuum libri Genesios sunt mille, quingenti, & triginta quatuor. Literæ illæ לך אף לך ejusdem numeri symbolum sunt. Et medius ejus versus invenitur cap. 27. ver. 40. Et super gladio tuo viues. Ejusdem libri sectiones maximæ, tribus פפפ vel ספס distinctæ, sunt duodecim. Et in voce זה, numericè 12. denotante, idem numerus exprimitur: Hoc est nomen meum in æternum, Exod. 3. 15. Capita ejus Masorethica sunt 43. qui numerus voce גם denotatur: Etiam benedictus sit, Gen. 27. 33. Sed capita ejus, hodie usitata, sunt 50. expressa voce לך : Domine esto gratus nobis, te expectamus, Jef. 33. 2. Numerus sectionum apertarum, literâ פ denotatarum, sunt 43; sed clausurarum, literâ ם indicatarum, sunt 48. quæ simul collectæ sunt sectiones majores & minores 91. Hæ voci s numerice includuntur: Exi tu & totus iste populus, qui

qui tua vestigia sequitur. Hæc clausula Genesios ita explicata, aperiet viam absque ulla difficultate cæterorum librorum clausulas facillimè explicandi.

X. In fine quatuor librorum, scil. Jeseiæ, Malachiæ, Threnorum & Ecclesiastæ penultimi versus repetuntur sine vocalibus. Quare? Quia ultimi versus illorum librorum exeunt in minas tristes & horribiles; vel in pœnas, quibus Deus punivit populum suum. Sed versus penultimi illorum librorum enarrant bonum populi, vel benedictionem aliquam, quæ tristes lectores refocillat. Hi quatuor libri denotantur abbreviatè literis ק'תק, post Threnos & Ecclesiasten expressis. Jod enim est prima litera ישעיהו *Jeseiæ*, ת denotat תי עשר *duodecim*, h.e. in fine 12. Prophetarum, five in Malachia. ק Prius significat קינת *Lamentationes Jeremie*, & ק posterius קהלת *Ecclesiasten*.

XI. In fine Exodi, Levitici, Numerorum, Deuteronomii & Ezechielis adjicitur vox הוֹקֵן *Esto fortis*, & in fine 2. Regum, Jeseiæ & Jeremie adjiciuntur duæ voces הוֹקֵן וְיִתְחַזֵּק *Esto fortis, & confirmemus nos*. Hæ voces, secundùm antiquam consuetudinem, subjiciuntur ad excitandos Lectores, ut lectis his libris, etiam strenuè pergerent ad cæteros libros. Voces illæ occurrunt 2 Sam. 10. 12. הוֹקֵן וְיִתְחַזֵּק בְּעַד עַמֵּנוּ וּבְעַד עַרְי אֱלֹהֵינוּ *Esto fortis & confirmemus nos pro populo nostro, & pro civitatibus Dei nostri*.

XII. Post Deuteronomium, præter communem clausulam, quæ libris Pentateuchi addi solet, adjicitur clausula generalis omnes quinque Pentateuchi libros concernens, quæ sic sonat: סכום הפסוקים של כל התורה (חמשת אלפים ושמונה מאות וארבעים וחמשה) ואור הח"מה יהיה שבעתים סימן: וחציו וישם עליו צאת החשן ויתן אל החשן את האורים ואת התמים: מניין פתוחות של כל התורה (מאתים ותשעים) יבא דודי לגנו ויאכל פרי מגדיו סימן: והסתומות (שלש מאות ושבעים ותשעה) או אכרה אכר ער נפשה בשבעה סימן: נמצאו מניין כל הפרשיות פתוחות וסתומות (שש מאות ופסוקים) ל'א תח'סר כל בה סימן: *hoc est, Numerus versuum totius Pentateuchi sunt 5845*. qui exprimitur literis numeralibus vocis הח"מה, *Et lux solis erit septupla*, Jes. 30. 26. *Medius Pentateuchi versus invenitur Levit. 8. 8. Et apposuit ei pectorale sacrum, indiditque pectorali sacro Urim & Tummim*.

Numerus sectionum apertarum totius Pentateuchi sunt 290. qui numerus denotatur voce פרי' Veniat amicus meus in hortum suum;

P R Æ F A T I O.

ut comedat fructum rerum pretiosarum suarum; sed numerus sectionum clausarum sunt 379. qui numerus exprimitur voce בשב' עה, aut obligavit obligatione seipsam per juramentum, Numer. 30. 11. Invenitur ergo numerus omnium sectionum apertarum & clausarum 669. qui numerus indigitatur literis vocum ל"א תה"כר puncto notatis, neque egebis quoquam in ea, Deut. 8. 9.

In fine Malachiæ post repetitum versum penultimum enumerantur omnes versus duodecim Prophetarum minorum : סכום פסוקי תרי עשר Numerus versuum duodecim, scil. Prophetarum minorum. Hosea continet versus 197. Joel 73. Amos 146. Obadiah 21. Jona 48. Micha 105. Nabum 47. Habakuk 56. Zephania 53. Haggaj 38. Zacharia 211. Malachia 55. Etiam ubique adduntur textus Biblici, in quibus vox una, majusculis literis scripta, exprimit illum versuum numerum. Denique post enumerationem versuum, in singulis Prophetis minoribus, summa omnium versuum in 12. illis libris his vocibus exprimitur : סכום הפסוקים של כל שנים עשר נביאים אלה וחמשים כ"ש שרית עם אלהים סימן. וחצו לכן בגללכם ציון שדה החרש. וסדריו עשרים ואחד. ולכבוד אהיה בתוכה סימן. hoc est, Numerus versuum omnium duodecim Prophetarum sunt 1050. qui exprimitur tribus vocibus Hebraicis, (Gen. 32. 28.) Nam ut principem te geris cum DEO. Et medius versus occurrit Michæ 3. 12. Idcirco vestra causa Tzion ut ager arabitur. Capita Masorethica sunt 21. quorum Symbolum est vox אהיה literis majusculis scripta, ex Zach. 2. 9. Et ad gloriam ero in medio ejus.

II. De Notis Latinis.

JAm sequuntur Notæ Marginales Latinæ, exteriori margini adjectæ, exprimentes argumenta capitum. In libris Prophetis & nonnullis aliis Notas illas descripsimus in initiis singulorum capitum; sed in libris Historicis easdem apposuimus sparsim per totum caput, ubi Sacer Scriptor novam materiam vel historiam enarrare incipit. Ipsi Judæi, nobis suadentibus & consulentibus, inceperant has Notas Pentateucho adjicere: sed quia primus author, Judæus Hispanus, eas Notas prius Hispanicè concipiebat

cipiebat & describebat, atque postea alius, itidem Hispanus, eadem in linguam Latinam transferebat: quapropter Notis, Pentateucho additis, nonnunquam Hebraismi sunt immixti. Ideo nos ipsi, ut Hebraismi illi vitarentur, Notas illas, à Josua incipientes, Textui Hebræo adscripsimus. Itaque Judæi argumenta Pentateucho, & nos cætera omnia à Josua usque ad finem Textui Sacro adjecimus. Mirabitur forte nonnemo, quare in quibusdam Prophetiis, de Messia agentibus, non loquuti fuerimus paulo clarius, ut nostra fides magis confirmaretur. Sed desinet ille mirari si consideret hunc impressorem JOSEPHUM ATHIAM Judæum esse, qui nihil ausus fuit imprimere, nisi antea ab aliis doctis Judæis examinatum & ventilatum. Quando igitur Notam aliquam, fidem nostram contra eos nimium, ex mente ipsorum, confirmantem, adscriperamus, statim ea fuit remissa, aliquando bis terve eadem Nota; petieruntque ut eam, tanquam neutri parti addictam, transformarem. Propterea coacti fuimus aliquando non tam clarè loqui, quàm quidem voluissemus. Judæi etiam paucas Notas voculam vel addendo vel omittendo leviter immutarunt; in his potissimum Capitibus: scil. 2. Sam. 7. v. 5. & 23. ver. 1. Jes. capp. 43. 44. 50. 53. 60. 65. 66. Jerem. capp. 7. 16. 31. Ezech. 43. & Malach. 1.

III. De Notis Hebraicis margini adscriptis.

IN hac editione multo plures notæ Hebraicæ, inservientes conservationi Textus Hebraici, margini adscribuntur, quam hactenus in ulla simili editione factum est; utque eas intelligeres, statui-
mus omnes illas sub his paucis capitibus comprehendere. *Primum* caput notarum explicabit Haphtharoth, h. e. Sectiones Propheticas, respondentes sectionibus legalibus, quarum lectio Judæis olim ab Antiocho Epiphane fuit interdicta. *Secundum* ager de notis circa versus. *Tertium* de notis circa Voces. *Quartum* de notis circa literas. *Quintum* differet de notis circa voces aut literas. *Sextum*

P R A E F A T I O.

tum de notis circa vocales. *Septimum* de notis circa Accentus. *Octavum* denique caput continebit notas, quæ versantur circa Dagesch, Mappik, & Raphe.

Caput primum considerat sectiones propheticas, olim à Judæis in locum sectionum legalium substitutas, quæ adhuc hodie post lectionem sectionis legalis publicè in Synagogis leguntur. Sectio talis prophetica vocatur הפטרה *cessatio, dimissio*, à פטר *liberari vel liberum dimitti*; quia eâ lectione perlectâ dimittitur populus. Antiochus prohibuit Judæis sub pœnâ capitali lectionem Legis, qui, nolentes propterea omittere lectionem prophetarum, selegerunt sectiones quasdam propheticas, sectionibus legalibus sensu vel memoriali quodam Symbolo utcunque respondentes. In margine librorum prophetarum passim annotatur initium & finis sectionis propheticæ: e. g. *Jos. 2. 1.* habetur in margine, הפטרה שלח לך *Sectio respondens Mitte tibi*, h. e. Pro sectione legali 27. quæ incipit his verbis שלח לך *Num. 13.* substituta est hæc ex Josuæ c. 2. Similiter *Jes. 1. 1.* extat sectio prophetica pro sectione legali 44. *Deut. 1. 1.* incipiente his verbis אלה הרברים. Et ut certus sis quousq; sese extendat illa sectio prophetica, ideo passim in margine habetur ע"כ abbreviatè pro עד כאן *huc usque*, h. e. usque ad hunc versum durat hæc sectio prophetica, ut *Jes. 1. 28.* Vide plures tales sectiones propheticas *Jud. 4. 4.* ubi additur, quod quidam incipiant hanc sectionem *cap. 5.* ותשר דבורה & *cecinit Debora*; etiam *Jes. capp. 6. 40. 42. 51. 54. 60.* & passim in libris Prophetarum. Quoniam verò sunt duplices Judæi, Hispani & Germani, habentes diversas Synagogas, qui in nonnullis circumstantiis circa cultum externum differunt; ideo etiam aliquando easdem sectiones propheticas non elegerunt: & propterea in margine nonnunquam adscribitur כמנהג הספרדים *secundum consuetudinem Hispanorum*, ut *1 Reg. 7. 13.* vel כמנהג אשכנזים *secundum consuetudinem Germanorum*, *1 Reg. 7. 51.* Aliquando hæc duæ nationes conjunguntur, ut versu 40. הפטרה ויקהל כמנהג אשכנזים והיא הפטרה פקודי כפי הספרדים *Sectio prophetica pro legali 22. Et congregavit*, *Exod. 35. 1.* *secundum consuetudinem Germanorum, sed eadem est sectio prophetica pro legali 23. Exod. 38. 21. secundum Hispanos.* Sunt etiam nonnullæ sectiones propheticæ, quæ certis quibusdam diebus festis prælegi solent, ut *Ezech. 1. 1.* הפטרה ליום א' שג' שבועות

שבעות *sectio prophetica pro primo die festi Pentecostes.* Jes. 10. 32.
 חפירת יום שמיני של פסח *Sectio prophetica pro die octavo Paschatis.*
 1. Sam. 20. 18. 'ר'ה ביום א' *Sectio prophetica cum incidit*
principium anni in diem primum hebdomadæ. ר'ה abbreviatè dici-
 tur *pro initium anni.* ראשה השנה *initium anni.* Vide omnes sectiones legales &
 propheticas iis correspondentes, secundum morem Germano-
 rum & Hispanorum, ipsis Sabbathis & diebus festis prælegi
 solitas, passim in margine Prophetarum, & præcipuè in Catalo-
 go illo, qui fini Bibliorum adjicitur.

Caput secundum versatur circa *Versus* diversimodè. 1. Notæ
 Hebraicæ indicant medium versum Pentateuchi, ut *Levit.* 8. 8.
 חצי התורה בפסוקים *Medium Legis in versibus.* Psalterii medius versus
 occurrit *Psal.* 78. 36. ubi in margine habetur חצי הספר *medium libri.*

2. Enumerant 28. versus, in quorum medio sensus est ellepticus,
 & videtur aliquid deesse, quod ad exprimendum perfectum
 sensum requiritur. Propterea in medio illorum versuum relin-
 quitur spatium aliquod vacuum: ut *Gen.* 35. 23. ubi in margine
 habetur פסקא באמצע פסוק *Hiatus in medio versu.* Similiter *Num.*
 25. versu ult. *Deut.* 2. 8. *Jos.* 4. 1. & 8. 24. *Jud.* 2. 1. 1 *Sam.* 14. 19.
 36. & cap. 16. 2. Cæteri versus passim in margine annotantur,
 interposito circulo in medio versuum.

3. Indicant spatium aliquod post versus esse relinquendum:
 ex. gr. *Jerem.* 14. 14. relinquitur fere spatium totius regulæ, &
 in margine annotatur בן נמצא בספרים מדויקים *sic invenitur in libris*
correctis.

4. Demonstrant quales versus in nonnullas editiones irrepse-
 rint, qui in antiquis libris editis & MSS. non inveniuntur: ex. gr.
Jos. 21. post versum 35. additi sunt, per seculum circiter, duo ver-
 sus, scil. 36. & 37. qui in aliis correctissimis exemplaribus non
 extant, sed ex 1 *Chronic.* cap. 6. vers. 63. & 64. hîc adjecti pu-
 tantur, qui ita sonant: וממטה ראובן את בצר וארז מגרשה ואת יהצה וארז
 מגרשה, *Et ex*
tribu Ruben Betzerum cum suburbanis ejus: & Jahatzum cum
suburbanis ejus: Kedemot has cum suburbanis ejus, Mephabatam cum
suburbanis ejus: civitates quatuor. Hi duo versus in multis Bi-
 bliis Hebraicis, hoc & superiori seculo excusis extant: sed Rabbini
 datâ operâ & deliberato consilio hos duos versus jam omiserunt,

& in margine glossam, continentem rationes illius omissionis, ad-
 scripserunt, quæ ita sonat: בקצת ספרים יש כאן ב' פסוקים וממטה ראובן
 וגומר ופעות הוא ואינם ראויים לחיות ועיין בפירוש הרד"ק ובמסרה וכן נמצא בג'
 ספרים ישנים מדויקים כתיבת די' h. e. *In quibusdam libris sunt hic duo*
versus, sic incipientes, & à tribu Ruben, &c. sed est error, & illi
non debent esse. Vide in Commentariis R. D. Kimchi, & in Masora,
 quæ idem affirmant; etiam sic invenitur in tribus libris antiquis cor-
 rectis MSS. Ut hæc nota marginalis clarior fiat, pluribus verbis
 eam exponam. *In quibusdam libris sunt hic duo versus: ergo non*
in omnibus: nam Biblia magna Bombergiana, Veneta postero-
ra, & Buxtorfiana, omnia in folio, illos duos versus non habent;
 sed lectores monentur in margine eos versus non pertinere ad
 Textum. Glossa marginalis sic monet: ובכל הספרים המדויקים
 הישנים לא נמצא & *in omnibus correctis antiquis libris non inveniun-*
tur. Nota marginalis, in Bibliis Athiæ addita, indicat recurren-
 dum esse ad commentaria R. Davidis Kimchi in Jos. 21. 1. qui cir-
 ca annum 1190. floruit. Idem sic ait: ולא ראיתי שני פסוקים אלו
 בשום ספר ישן מדויק--וראיתי כי נשאל רבינו האי' ולבואת השאלה
 ולידי duos illos versus in aliquo antiquo correcto libro --- *Etiam vidi*
quodrogatus sit R. Haaj p. m. super hac quaestione. Hinc apparet
 illos duos versus non extitisse undecimo five duodecimo seculo
 in ullo correcto codice quem vidit Kimchi, nec etiam antea tem-
 poribus R. Haaj. Etiam nota marginalis monet inspiciendam es-
 se Masoram, in qua numerantur versus. Hæc in fine Josuæ ex-
 primitur his verbis: ככום הפסוקים של ספר יהושע שש באות וחמשים
 ושישה, *Numerus versuum libri Josuæ sunt 656.* Si duo versus
 antea allegati etiam pertineant ad textum, tum essent in Josua
 658. versus, quod est contra Masoram. Etiam scimus Masore-
 thas semper versus singulorum librorum accuratè numerasse.
 Præterea illa nota monet in tribus antiquis MSS. libris illos duos
 versus non inveniri. Ipsemet unum ex tribus illis exemplaribus
 MSS. percurri, & quæsi vi duos illos versus, sed frustra. Etiam
 ipsa paraphrasis Jonathæ, composita circa tempora Augusti, hos
 versus ignorat.

Tertium caput continet notas marginales, quæ versantur circa
 Voces, & quidem diversis modis. 1. Secundum antiquam tra-
 ditionem inveniuntur in V. Test. sex loca, in quibus vox ali-
 qua

qua ab initio columnæ scribi aut imprimi debet. Ex. gr. *Gen.* 49. 8. in margine hæc habentur בראש עמוד סימן ביה שמו h. e. Vox יהודה, ad quam hæc glossa respicit, debet esse in principio columnæ, & *Symbolum* cæterorum locorum exprimitur literis sequentibus; denotat בראשית *Gen.* 1. 1. h. e. vox illa בראשית debet scribi vel imprimi in principio columnæ. Jod designat יהודה *Gen.* 49. 8. ה. הנאים *Exod.* 14. 28. שני ש. *Lev.* 16. 8. ג. מוה *Numer.* 24. 5. & Vau denotat ואעדה *Deut.* 31. 28. Hæc voces per illam abbreviaturam designatæ, in principio columnæ debent imprimi, quod etiam hîc observatur, excepto loco quinto, *Num.* 24. 5. Etiam ubique hæc eadem nota marginalis annotatur, præterquam in loco primo.

2. In V. T. per multa secula, etiam ante confectum Thalmud, quindecim voces supernè nonnullis punctis notatæ fuerunt, quæ puncta nec accentus nec vocales sunt. Decem tales voces, punctis ornata, olim annotatæ sunt, & adhuc hodie etiam annotantur in Lege, quatuor in Prophetis, & una in Hagiographis: propterea in hæc editione hoc passim annotatur: ex. gr. *Gen.* 16. 5. in margine habetur בראשית נקוד על י' בראש *punctum est supra Jod posterius*, vocis ובניך. Similiter *Gen.* 18. 9. ad vocem אלהיך annotatur נקוד *punctum est supra literas Aleph, Jod, Vau.* Cæteræ voces punctatæ inveniuntur *Gen.* 19. 33. & 33. 4. & 37. 12. *Numer.* 3. 39. & 9. 10. & 21. 30. & 29. 15. *Deut.* 29. 29. 2. *Sam.* 19. 20. *Jes.* 44. 9. *Ezech.* 41. 20. & 46. 22. *Psal.* 27. 13.

3. Etiam nonnunquam media vox indicatur, ut *Lev.* 10. 16. ubi ad verbum דרש in margine hæc annotantur: דרש בראש שפורה: *Verbum est in principio regulæ, estque medietas Legis respectu vocum.*

4. Nomina divina, Deo propriè convenientia, tribuuntur nonnunquam creaturis: idè in nonnullis locis margini adscribitur קדש *Sanctum*, ut *Genes.* 18. 3. & 19. 18. quo indicatur nomen אלהי in illis locis esse Sanctum, & de Deo usurpari. Eadem vox *Genes.* 20. 13. adscribitur voci אלהים. E contra *Genes.* 19. 2. ad vocem ארני, scriptam cum Patach, in margine annotatur חול *profanum*, quo significatur, illud nomen ארני ibi de creaturis usurpari.

5. Notæ marginales considerant voces defectivè vel abundanter scriptas, h. e. sine litera, quæ aliàs requiritur, vel cum litera quæ potest abesse: ex. gr. *Gen.* 20. 6. ad verbum מהו à peccando anno-

annotatur 'חרא *deest Aleph*: nam deberet scribi חרא. Similiter *Jes. 3. 8.* voci עני in margine adscribitur 'חר *deficit Jod*. E contra nonnullæ voces occurrunt, in quibus quædam litera est superflua, quæ posset abesse: & propterea hoc in margine passim annotatur; ut *Gen. 27. 4.* ubi ad vocem צירח *He abundat*: nam illud *He* revera superest, & vox nihilominus esset perfecta, imo multo perfectior si illud abesset.

Caput quartum enumerat notas marginales, quæ versantur circa literas. 1. Literæ majusculæ, secundum Masoram in V. T. annotari solitæ, hic accuratè in ipso textu describuntur, additâ præterea voce רבתי, indicante literam hanc vel illam majusculâ formâ esse exaratam: ex. gr. *Gen. 1. 1.* ad vocem בראשית in margine annotatur רבתי ב' *Beth est majusculum*. Similiter *Levit. 13. 33.* in verbo וחנלה litera ג est majuscula, & *cap. 11. vers. 42.* in גחון litera Vau; ubique annotatâ voce רבתי. Hæ literæ majusculæ, quæ fere sunt 30. in genere denotant accuratiorem rei præsentis esse habendam rationem.

2. Literæ minusculæ, in genere denotantes diminutionem rei, vel contemptum eorum quæ tali literâ scribuntur, hîc accuratè enumerantur, addita voce in margine ועירא *parvum*: ex. gr. *Gen. 2. 4.* in verbo בהבראם litera ה minusculâ formâ pingitur, quod etiam in margine annotatur הועירא *He est parvum*. Vide etiam *Gen. 23. 2.* in verbo ולבכתה, & *Lev. 1. 1.* in ויקרא, & passim per totum V. Test. Ubique in margine adscribitur ועירא, denotans literam aliquam minori formâ esse exaratam.

3. Quatuor literæ suspensæ, scil. tres ע & una נ hîc supra communem regulam sunt impressæ, additâ ubique voce marginali הלוייה denotante literam *suspensam*. Hæ occurrunt *Judic. 18. 30.* in מישרה, *Psal. 80. 14.* in מייער, & *Job. 38--13. 15.* in מרשעים.

4. In multis Bibliis *Numer. 10. 35.* in בנסע, & *cap. 11. vers. 1.* in כמתאנים literæ Nun sunt inversæ, sed exemplaria MSS. quæ in Judæorum Synagogis asservantur, ignorant Nun inversum; sed ante illos versus scribunt signum aliquod, tali formâ constans (נ), repræsentans fere Nun inversum: & propterea hîc talia duo signa conspiciuntur, additâ notâ marginali, נון הפוכה *Nun est inversum*.

5. *Numer. 25. 12.* occurrit vox שלום *pax*, cum nota marginali

nali קטעא h. e. *Vau est abscissum & decurtatum*, ut innuatur pro
 שלים posse legi שלים *perfectus*: nam quando inferior pars à Vau
 obliquè abscinditur ultra medium, quod remanet, est simile lite-
 ræ *Jod*. Hæc litera propterea ita abscissa videtur, ut alius sensus
 elici posset; sed ea hîc non est abscissa, ne in *Jod* videretur mu-
 tata.

6. Literæ irregulares in hac editione etiam annotantur, ut
Deut. 3. 11. ad הלה^ה annotatur כתיב בהא *scriptum cum He*, loco A-
 leph in fine. *Deuter.* 32. 6. voci ליהויה^ה adscribitur talis nota, ה
 He est majusculum, estque vox per se. He
 semper solet conjungi, sed hîc separatur; & propterea illa irregu-
 laritas hîc indicatur. Præterea quando una litera pro alia scribi-
 tur, tum in margine habetur במקום loco: ex. gr. *Prov.* 26. 9. ad
 vocem כפר^ה annotatur in margine ה במקום א *He est loco Aleph*:
 nam regulariter scribitur כפא. Vide etiam *Job.* 38. 11. & passim
 alibi. Denique Mem finale scribitur in Medio *Jes.* 9. 6. in voce
 למרבה cum addita nota מ סתומה באמצע תיבדה *Mem est clausum* (fi-
 nale) *in media voce*. E contra מ non finale scribitur in fine *Neb.*
 2. 13. & simile Nun in מ occurrit *Job.* 38. 1. & 40. 6. cum nota
 marginali מן קרי h. e. מן est legendum.

7. Quando vox scribitur irregulariter cum literâ aliquâ, de
 quâ quis posset dubitare, an non alia litera esset substituenda, hoc
 hic in margine etiam annotatur: ex. gr. *1 Sam.* 2. 16. ad vocem לו
 notatur לא סביר *putatur legi debere לא per Aleph*. Hæc nota mo-
 net nihil esse mutandum, sed vocem לו esse authenticam, & à pri-
 mis authoribus profectam. Eadem nota etiam annotatur *1 Sam.*
 12. 5.

8. Quando vox aliqua scribitur, de quâ quis dubitare posset,
 an ita sit scribenda, tum in margine sæpissimè tres tales literæ כ' צ' ל'
 ut de vera lectione certus esses, adscribuntur, quæ abbreviatè de-
 notant כן צריך להיות *Sic debet esse*. Vide hujus notæ marginalis ex-
 empla *1 Reg.* 7. 22. 26. *Jer.* 22. 20. *1 Sam.* 10. 11. *2 Sam.* 19. 14.
 & passim alibi, quod hactenus nunquam in ulla editione observa-
 tum est.

Caput quintum considerat septem species notarum margina-
 lium, vulgò *Keri* vocatarum, quæ versantur circa Literas aut Vo-
 ces. *Prima* species versatur circa literas omiffas, quæ in aliis locis regu-

P R Æ F A T I O.

regulariter solent adesse; vel vice versâ circa literas abundantes, quæ aliàs solent abesse. 1. In V. Test. sæpè literæ defunt, quæ secundùm regulas communes adesse debent, ut *Jos.* 24. 3. habetur *le-* *Etum.* Sic *1 Sam.* 18. 7. pro *באלפיו* scribitur in margine *באלפיו קרי*, quod in margine annotatur cum verbo *קרי* h. e. *le-* legendum cum Jod, quod pluralibus addi solet. 2. E contra, in aliis locis literæ quædam abundant, quibus absentibus voces nihilominus essent perfectæ, imo perfectiores quàm cum his additis literis, ut *Jos.* 6. 7. pro *ויאמרו* est in margine *ויאמרו*, nam Vau abundat, & nihil significat. Vide etiam *cap.* 7. 21. pro *וארא* cum litera He abundante, quæ in margine abjecta est.

Secunda species versatur circa literas, pro quibus aliæ in margine leguntur, ut *Jos.* 3. 16. pro *בארם* in margine est *בארם*, & *cap.* 6. 9. pro *תקעו* est *תקעו* cum Vau loco Jod.

Tertia species considerat literas per Metathesin transpositas, ut *Jos.* 6. 13. *הלוך* pro *הלוך*, & *Jud.* 12. 3. *ואשימה* pro *ואשימה*, quæ regulariter in margine annotantur.

Quarta species est circa literas adscriptas voci præcedenti, cum pertineant ad vocem sequentem, ut *2 Sam.* 5. 2. *הייתה מוציא*, pro *ידעת השחר* pro *ידעתה שחר*; & *Job.* 38. 12. *היית מוציא*.

Quinta species est circa voces destitutas vocalibus, & vice versa. 1. Occurrunt aliquando tantum consonæ sine vocalibus, ut *2 Sam.* 13. 33. in voce *אם*, & *2 Reg.* 5. 18. in *נא*, ubique adscriptis vocibus *קרי ולא כתיב* *scriptum & non lectum*. Judæi non solent eas voces legere. 2. E contra nonnunquam inveniuntur tantum vocales, annotatis consonantibus in margine: ex. gr. *Jud.* 20. 13. sunt vocales, quas Rabbini judicant ita esse legendas cum his consonantibus *קרי ולא כתיב*; sic etiam *2 Sam.* 8. 3. sunt *פרת* pro *פרת*, ubique annotatis vocibus in margine *קרי ולא כתיב* *lectum & non scriptum*, h. e. Rabbini judicant illas vocales per tales consonas esse legendas.

Sexta species est circa voces conjunctas, quæ sunt dividendæ, & vice versa. 1. *Gen.* 30. 11. occurrit *בגר* pro *בגר*, & *Jes.* 3. 15. *מלכם* pro *מלכם*, quæ ita divisæ scribuntur in margine. 2. E contra voces in textu divisæ in margine conjunguntur, ut *1 Sam.* 9. 1. in *בחרבתי* pro *בחר בתי*, & *2 Chron.* 34. 6. *מבנימין* pro *מבנימין*.

Septima species est circa voces obscuras, quæ Rabbini judicant per alias voces, notatas in margine, esse legendas, ut *1 Sam.* 5. 9. pro

9. pro עפלים voce obscena legitur vox honestior מחורים, & 2 Reg. 6. 25. pro רכיונים annotatur in margine vox quasi honestior רכיונים Singularum specierum pauca exempla protuli, cætera poteris ipse in margine passim inquirere.

Obstaro posset hic addi nota quædam, margini adscripta, indicans literam esse mobilem, aut quiescentem, ut *Psalms*. 136. 3. voci לארני in margine adscribitur נעה Aleph est mobile: aliàs enim א solet destitui vocali. E contra litera Aleph, per se aliàs mobilis, aliquando quiescit, ut 1 Reg. 11. 39. ואענה, ubi annotatur הוא נחה illud Aleph est quiescens. Vide etiam *Ezech.* 47. 8.

Caput sextum notarum versatur circa *Vocales*, de quibus dubitare posses, an non aliæ vocales illis literis essent subscribendæ. Hoc fit 1. Circa *Kametz*; *Jos.* 11. 4. ad vocem רב, aliàs fere scriptam cum Patach, annotatur בקמץ הר Resch est cum Kametz; & *Jud.* 6. 17. voci שאתח adscribitur בקמץ הש, illud Schin est cum Kametz, cum aliàs recipere soleat Sægol. 1. *Sam.* 7. 17. ad שפט apponitur in margine כולו קמץ Totum illud est Kametzatum, & *Jes.* 37. 1. ad ביש additur כולם קמץ Omnia illa sunt Kametzata. שי, ושק, ושק sæpè habent Patach, sed quando Beth præponitur, tum semper habet Kametz. In constructione Kametz ultimæ syllabæ mutatur in Patach, sed in V. T. aliquando tale Kametz manet, contra regulas, immutatum; hoc hic etiam annotatur, ut *Ezech.* 13. 9. ad verba ובכתב בית ישראל scribitur קמץ בכמון Est Kametz cum nomine constructo.

2. Circa *Patach*, ut *Jos.* 1. 6. voci ואמץ adscribitur in margine נפתח Mem est cum Patach; ne quis putaret Patach esse mutandum in Kametz propter accentum Atnach. *Jud.* 5. 7. ad שקיתי annotatur הש נפתח Illud Schin est cum Patach: nam aliàs tale pronomen Schin solet recipere Sægol. 1. *Sam.* 1. 10. pro נפתח est פתוחה Patachatum, h. e. occurrit cum Patach.

3. Circa *Sægol*, ut 1 Reg. 16. 24. ad כאת apponitur הא בסגול Illud Aleph est cum Sægol, cum aliàs fine Maccaph recipiat Tzere. *Jes.* 33. 23. ad כרית annotatur הב בסגול Illud Beth est cum Sægol.

4. Circa *Tzere*, ut *Jos.* 2. 18. ad חורתי annotatur הת בצרי Illud Thau est cum Tzere, pro חורתיני. *Jes.* 30. 11. duabus vocibus קני adscribitur in margine ב' גונין בצרי Sunt duo Nun cum Tzere.

5. Circa

P R Æ F A T I O.

5. Circa *Chirek*, ut 2 Sam. 1. 10. voci נפלו adscribitur נון בחירק Nun est cum *Chirek*, cum aliàs dicatur נפלו *cadere eum*. Jef. 14. 3. ad voces מעצבך & ומרגון habetur ממים בחירק ב' Duo Mem cum *Chirek*, quum aliàs communiter ante literas non dageffabiles requirant Tzere.

6. Circa *Chateph-kametz*, ut 1 Reg. 13. 7. ad verbum ופערה annotatur בחטף קמץ הם *Samech est cum Chateph-kametz*. & c. 19. 20. eadem nota ad אשקה abbreviatè indicatur הש' בח'ק *Illud Shin est cum Cateph-kametz*. Vide etiam Jef. 27. 3. 4.

Caput septimum continet notas circa *Accentus*, & circa *pronunciationem* ac *locum accentuum*. 1. Circa accentum רביע *Rebbia*, qui communiter non solet vocales breves in longas mutare; nonnunquam tamen irregulariter vocales quasdam mutat, ut 1 Reg.

7. 18. voci האחר *Est Kametz cum accentu Rebbia*. Vide etiam Jef. 6. 10. ad ישמע.

2. Circa קטון קטון *Sakeph-katon*, ut Jos. 5. 14. in textu occurrit וישתחו, & in margine קמץ בו"ק *Kametz cum Sakeph-katon*, abbreviatè pro בוקף קטון. Vide etiam Jud. 5. 27. & 7. 5. ac passim alibi.

3. Circa טרחא *Tarcha*, ut Jud. 17. 1. In voce אפרים est *Kametz loco Patach*; & propterea in margine adscribitur קמץ בטרחה *Est Kametz cum accentu Tarcha*, qui aliàs non solet vocales mutare. Eadem nota occurrit 1 Reg. 5. 31. circa vocem הבית *domus*.

4. Circa אתנח *Athnach*, qui est pausa major mutans vocales Patach & Sægol in Kametz; & quando hoc non facit, tum sæpè nota marginalis additur, ut Jud. 1. 28. לקם pro לקם, ubi annotatur in margine פתח באתנח *est Patach cum Athnach*, contra regulam de pausis majoribus. Eadem nota etiam occurrit 1 Sam. 10. 2. circa vocem בצלצח, & passim alibi.

5. Circa סוף פסוק *Soph-pasuk*, sive *Silluk*, qui etiam est pausa major, mutans eodem modo vocales, ut *Athnach*: sed quia hæc pausa aliquando immutatas relinquit vocales, ideo hoc in margine indicatur, ne putares esse vitium in textu, ut Jud. 1. 30. לקם pro לקם cum *Kametz* propter *Silluk*: sed in margine annotatur פתח בס'פ *Est Patach cum Soph-pasuk*, sive *Silluk*, abbreviatè pro בסוף פסוק. Eadem nota etiam annotatur ver. 33. & 35. & Jud. 6. 19.

6. Pausæ majores communiter mutant vocales breves in longas;

gas; sed nonnunquam accentus minores eodem modo voces nonnullas afficere solent; & quando hoc fit, tum in margine hîc apponi solet בלא אתנה abbreviatè pro סוף פסוק בלא אתנה h. e. *sine Athnach & Sophpasuk*. Masorethæ utuntur hac formula, quando indicant dictionem aliquam ob accentum minorem paufantem, veluti ob Sakeph-katon, Rebhia, Tipcha, aut alium, scribi cum Kametz, æquè ac ob Athnach & Sophpasuk paufas majores: ex.

gr. *Psal.* 135. 21. & 137. 5. In ירושלים sub Lamed est Kametz propter Rhebja paufam minorem: & propterea in margine scribitur $\text{קמץ בלא אתנ$ *Est Kametz sine Athnach & Sophpasuk*. Vide etiam *Psal.* 137. 7. ubi ob Merca accentum minorem Patach in Kametz mutatur.

7. Circa prononciationem accentuum, ut *Gen.* 5. 29. ad vocem תרה notatur in margine $\text{הקורא יטעים הגריש קורם התרמא}$ *Lector accentum Geresch prononciabit ante accentum Tarsa*. Vide etiam *Lev.* 10. 4.

8. Notæ marginales versantur etiam circa locum accentuum. *Primò*. Quando vox aliqua accentum habet in syllaba ultima pro penultima, tum in margine scribitur מלרע *infra*, *infernè*, h. e. in inferiori sive ultima syllaba: ex. gr. *Jud.* 4. 18. bis occurrit סורה cum accentu in ultima, quum aliàs accentus in tali forma debeat esse in syllaba penultima. Vide etiam eandem notam *cap.* 5. *ver.* 12. ad verbum עורי , cum accentu in syllaba ultima, cum debeat regulariter esse in penultima. *Secundò*. E contra quando accentus est in syllaba penultima pro ultima, tum scribitur in margine מלעיל *suprà*, h. e. in superiori à fine vocis syllaba, sive in penultima: ut 2 *Sam.* 17. 12. voci נותר habenti accentum in penultima pro syllaba ultima adscribitur in margine מלעיל : nam secundùm paradigma Conjugationum accentus debet esse in ultima syllaba. Vide etiam simile exemplum *Ies.* 7. 2.

9. Circa geminationem accentuum. Voces aliquando recipiunt præter morem plures accentus, quàm communiter recipere solent. Circa talem multiplicationem accentuum etiam nota marginalis annotatur: ex. gr. 2 *Reg.* 17. 13. verbo שבי adscribitur in margine ב' טעמים במילה א' *sunt duo accentus in voce una*. *Jerem.* 2. 31. ad vocem מאפליה annotatur ב' טעמים *sunt duo accentus*, scil. præter Metheg. Vide etiam *Ruth.* 2. 14.

P R Æ F A T I O.

Caput octavum versatur circa Dagesch, Mappik & Raphe. *Primo*, circa Dagesch, & quidem variis modis. 1. Quando est post vocalem longam, ut *Iud.* 13. 8. ad ה' ברוש ה' יל' annotatur *Illud Lamed est cum Dagesch*. Similiter *cap.* 18. v. 21. 29. & c. 20. v. 31. 32. Hæc nota *Ies.* 28. 16. 28. ad vocem מוסר his vocibus exprimitur, רגש אחר שורק *Est Dagesch post Schurek*. Vide etiam *Ies.* 33. 1. *Ezech.* 16. 4. Alibi dicitur Dagesch esse post vocalem longam: ex. gr. *Ies.* 16. 8. ad שרונה' annotatur in margine רגש אחר ה' abbreviate pro תנועה גדולה *Dagesch est post motionem magnam*, h. e. post vocalem longam. 2. Literæ gutturales & Resch non recipiunt Dagesch: Masorethæ tamen numerarunt quædam loca, in quibus Resch & Aleph recipiunt Dagesch: ex. gr. 1 *Sam.* 1. 6. & 10. 24. & 17. 25. 2 *Reg.* 6. 32. *Ier.* 39. 12. *Ezech.* 16. 4. ubique in margine habetur רגש אחר ה' vel ריש *Resch est dageffatum*. Etiam Aleph dageffatur, quod in hac editione etiam annotatur, ut *Iob.* 33. 21. verbo ר' in margine adscribitur ה' ברוש *Illud Aleph est cum Dagesch*. Talia quatuor loca, in quibus Aleph habet Dagesch, enumerantur à Masorethis.

Secundo circa *Mappik*. Aliquando Mappik planè omittitur, ubi aliàs requiritur: ex. gr. 2 *Reg.* 8. 6. ad vocem מוסר notatur in margine ה' לא מפק' *He non habet Mappik*. Illud ה' debebat scribi cum Mappik, sed ipse sacer Scriptor hîc non posuit punctum in ה', quod hîc annotatur, ne quis ex improvîso illi literæ punctum inscriberet. Vide etiam *Ies.* 23. 17. 18. ubi eadem nota occurrit occasione vocum לאתנה & ואתנה non notatarum cum Mappik.

Tertio circa *Raphe*. Dagesch aliquando est ejectum, ubi aliàs solet exprimi. & quando tale Dagesch abjectum est, tum in margine scribitur רפה *Raphe*: ex. gr. *Iud.* 8. 2. ב in voce מבייר *præ vindiemiâ*, destituitur Dagesch compensativo: ideo hîc in margine scribitur רפה ה' *Illud Beth est lene*, h. e. sine Dagesch forti. Vide etiam *Iud.* 16. 16. ubi ל est Raphe, h. e. sine Dagesch. Etiam *ver.* 28. in משה' litera Thau dicitur esse raphata sine Dagesch, quod aliàs requiritur. Vide etiam *Ies.* 22. 10. Aliquando illud Raphe denotat absentiam puncti Mappik in litera ה', ut *Ies.* 18. 5. ad vocem נצה in margine annotatur ה' רפה *He est lene sine Mappik*.

Ex his omnibus curiosis notis, in octo præcedentibus capitulis allegatis, facîle potes, Lector benevole, percipere summam
dili

J O H A N N I S L E U S D E N

diligentiam circa hanc editionem fuisse adhibitam. Si fortè vitium aliquod, sed corrigibile, postquam folium esset impressum, irrep-
sisse à nobis ostensum esset, illud per tota Biblia accurati Scribæ
calamo correxerunt; si vero esset non corrigibile, tum integram
pagellam de novo impresserunt. Non igitur credimus ullum vi-
tium literale jam in Textu mansisse, quum in aliis Editionibus,
etiam Plantinianis, innumera ferè sint inventa, & à nobis annota-
ta. Hanc dissertationem publico examini subjecimus, respon-
dentibus Studiosis *Abrahamo Montano, Midwouda-Noort-Hol.*
Johanne ab Ochten, Ultrajectino; & Thoma de Wreedt, Agrippinate.
Vale, Lector benevole, & Bibliis his ad felicem in veritate ac pie-
tate profectum utere, frueri.

Datum Ultrajecti, 2. Maii.

A. MDCCLXXVII.

J O H A N N E S L E U S D E N.

